

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 10. Dei erga Nabuchodonosorem iustitia, quàm clemens fuerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](#)

ti, vel quia consuetudine in naturam trans-
seunte tuti fuerunt. Potuit ergo, quamuis
in delitijs antè enutritus rex Babylonis
herbis & graminibus vitam conseruare,
præsertim cùm talem cibum imaginatione
atque appetitu ferino & bouino (hoc enim
est *cor ferae*) sibi à Deo in pœnam indito,
appeteret. Et talis fuit, per septenium,
in corpore Nabuchodonosor.

§. X.

*Dei erga Nabuchodonosorem iustitia, quam
clemens fuerit?*

Vt autem diligit misericordiam & judicij Psal. 32. §.
Deus, ita neq; ista regis pena sine miseri-
cordia & clementia fuit. 1. Vixit inter
feras ac belluas, tanto tempore, nulla eum
lædente, quia imaginatæ sunt, eum ferā
esse nouam ac monstrosam, & omnibus
alijs vel terribiliorem, vel minùs idoneam,
vt deuoraretur; aut certè, quia Angelus il-
lius bestias cohibuit, ne eum inuaderent, ac
deartuarent. Quo pacto postea ipse Da-
niel de se dixit: *Deus meus misit Angelum* Daniel. 6.
suum, & conclusit ora leonum, & non nocue- 22.
runt mihi. 2. Quæ maior fuit misericor-
dia, non solùm per somnium præmonuit
hunc regem Deus obscurè, quid futura
Z z esset,

esset, sed etiam per claram somnij interpretationem à Daniele factam. Per quem etiam illi ostendit modum euadendi hanc calamitatem, dum ei dixit Daniel: *Quam obrem rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitatu tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.* Delentur enim peccata, per pœnitentiam, & actus misericordiæ; & per eleemosynam redimuntur, quippe quia eleemosyna peccatorem disponit ad gratiam & peccati remissionem, quam in star orationis emeretur à Deo impetrat. que; itemque ubi remissa est culpa, ex condigno quoque meretur reliquæ pœnae remissionem: denique licet non mereatur semper culpæ & pœnae æternæ, tamen ferè meretur pœnae temporalis remissionem, ut Deus plagas suas talibus in hac vita non immittat, vel differat. 3. Quanta clemencia fuit? ut pœnitentiam ageret, dedit ei spatum pœnitentiæ; siquidem distulit ad duodecim menses sententiæ suæ in regem latæ executionem; & velut nouam captauit occasionem, impleta mensura peccatorum.

§. XI.